

CIRCARIA  
GRAECIAE ET HIEROSOLYMITANA

Fructus cruciatarum est fundatio harum domuum. In expugnatione Terrae Sanctae, quod ideale tunc omnes animas christianas replevit, monachi et canonici fuerunt pedisequae exercituum, et in regnis et principatibus ab illis erectis nobiles statim abbatias ad normas patrias fundaverunt. In Palaestinam venit ordo noster duplici via: per Amalricum canonicum Floreffiensis anno 1136 (St. Habacuc) et per Stum. Bernardum. In concilio Remensi anno 1131, praesentibus sanctis Norberto et Bernardo, etiam actum est de cruciatibus. Qua occasione Innocentius Papa Amalricum canonicum Floreffiensis, ordinis nostri, qui crucem eloquenter praedicaverat in Gallia et in Belgio, sollicitavit, ut in Terra Sancta christianis et paganis verbum Dei pronuntiaret. Amalricus ergo, missionarius apostolicus nominatus, una cum aliquibus confratribus statim profectus est in Palaestinam, ubi mox patriarcha Hierosolymitanus instanter eum rogavit, ut monasterium sui ordinis ibi institueret. Quod factum est paulo post in loco Sancto Habacuc dedicato, cuius primus abbas factus est Amalricus. Secunda fundatio facta est, ut supra diximus, per sanctum Bernardum; qui locum St. Samuelis, a rege Balduino sibi oblatum ordini nostro tradidit anno 1141. Anno 1187 ambae domus eversae sunt per incursum Saladini. Refugium invenerunt canonici nostri in urbe Accon, seu Ptolemais; vel forte etiam in „Monte Stae. Catharinae“, medio saec. XIII vero in Cypro. In concilio Lateranensi anno 1215 ab Innocentio

<sup>7</sup> Hugo, SAM, I, 108.

<sup>8</sup> Hugo, II, 479, cf. Anal. Praem. VII (1931), 179.

<sup>9</sup> K. SCHAEFER, Die Ausgaben der Apostolischen Kammer unter Johannes XXII, Paderborn 1911; 463, 476, 487, 488.



III papa Jacobus de Vitry, Belga atque chronista sagax, nominatus est episcopus Ptolemaidis. Noluit vero ille proficisci in Terram Sanctam absque suo intimo amico Hellino, abbate Floreffiensi, cui Gervasius abbas Generalis ordinis nostri in concilio praesens, litteras dedit regi et patriarchae Hierosolymis transmittendas, ut illis intervenientibus loca sancta devastata ordini restituerentur. Hellinus factus est abbas in Accon. Tamen anno 1229, in recuperatione Hierosolymorum, religiosi non videntur fuisse reversos in locos pristinos. Ab anno 1263 in documentis non iam fit verbum de conventu in Accon, qui omni modo ante annum 1291 interiit. Quo facto ordo in Terra Sancta extinctus est. Aliter de coenobiis in Graecia et in Cypro. Parum nota est historia abbatiae Calabritensis in Peloponneso, ubi – ad tempus – monasterium quoddam graecum Praemonstratensibus videtur fuisse traditum. Nil scitur omnino de monasterio Sti. Nicolai extra muros Constantinopoli, nisi quod citatur in uno solo catalogo ordinis, nempe Scheftlariensi. Prioratum Hermokastron in Graecia jure merito adducimus erat enim certe ad tempus domus formata.

Usque ad finem circiter saeculi decimi tertii, canoniae in Terra Sancta sitae pertinerunt ad „Circariam Tuscie et Calabriae“, cum qua continuum habuerunt commercium per duos portus in Apulia, Barletta et Brindisi, ubi ordo noster habuit abbatias, quarum una, in signum intimi connexus, etiam Sancto Samueli erat sacra.

Circaria Graeciae vero ad tempus saltem fuit separata. Post interitum ordinis in Terra Sancta ante annum 1291, sola Episcopia in Cypro probabiliter erat superstes, et abhinc illa sola videtur constituisse circariam „Graeciae et Hierosolymitana“, ut probant catalogi recentiores. Quae circaria quidem extitit de jure, sed vix de facto. Unaquaeque domus habuit suum tempus prosperitatis. Ex viris illustribus huius circariae adducimus archiepiscopos Sidonensem Amalricum, et Lethardum Nazarethanum, martyres Sti. Samuelis et Beatum Haytonem, celebrem scriptorem abbatiae Bellapaise.

Cum dominatione Latinorum vero haec monasteria steterunt et ceciderunt, quia non tantum Musulmani, sed etiam Graeci schismatici ea habuerunt in odio. In Graecia et in Cypro canoniae potuerunt florere, tamdiu haec regna a dynastiis Gallis fuerunt recta, quia tunc semper fuerunt vivae relationes cum Gallia, ubi ordo noster semper fuit magno in honore. Cum vero cessavisset ibi dominatio dynastarum de Villehardouin et rectae lineae de Lusignan, cessaverunt et relationes cum Gallia, et sibi ipsis fuerunt derelicta haec dissita monasteria, quae e regione sua heterodoxa nullas, sed ex occidente longinquo tantum obtinuerunt vocationes. Hermocastrum certe, Kalavryta forsitan ipso saeculo eorum foundationis interierunt. Cyprus vero postremo a Venetis fuit possessa. In Venetia ordo noster non extitit, et in reliqua Italia saeculo XV misere elanguit et fere iam extinctus erat. Ideo elan-

guit et Bellapaise, quae tamquam ultima domus circariae interiit anno 1571, et cuius aedificia quasi integra ut unum ex pulcherrimis monumentis artis mediaevalis in Cypro supersunt. De reliquis canoniis subsitit ecclesia Sti. Samuelis tantum.

Fontes praecipui contemporanei sunt a) Wilhelmus de Tyro, *Historia rerum in partibus transmarinis gestarum* (23 libri, usque ad annum 1183). Habetur apud MIGNE PL 201, APUD BONGARS o. c. et germanice ab E. KAUSLER, Stuttgart 1848. Alterum opus est b) Jacobus de Vitry, *Historia Orientalis* (usque ad annum 1218), I et II ed F. MOSCHUS, Douai 1597, I et III invenitur etiam apud BONGARS o. c., III etiam apud J. GILLS, *Incerti scriptoris narratio de rebus in Bello Sancto gestis*, London 1846 (cf. LThK V 264). Bibliographiam completam, optime congestam invenies apud DHGE art. *croisades*, et in opere anglo „The Cambridge Medieval History“ vols. IV et V, Cambridge 1923/26.

#### ACCON St. Samuel

Stus. Samuel in Ptolemaide, – in Accarion, St. Jean d'Acre.

Civitas in littore maris in Terra Sancta, sedes episcopalis.

Abbatia Sti. Samuelis prope Hierosolymas iam ante annum 1187 habuerat refugium in Accon, ex dono cuiusdam viri, qui „Homodei“ vocabatur<sup>1</sup>. Aliquae terrae erant adnexae. Religiosi post annum 1187 partim eo aufugerunt, canoniam suam eo transferentes<sup>2</sup>. Sed post annum 1263 in chartis monasterium Sti. Samuelis non iam citatur<sup>3</sup>. Paulo post, Hugo III rex Cypri Praemonstratenses ex Terra Sancta profugos advocavit in insulam suam, quos in Episcopia (Bellapais) stabilivit. Probabiliter hoc nihil aliud fuit nisi conventus Sti. Samuelis, qui in ruinis abbatiae suae, et in angusta domo Acconensi

<sup>1</sup> H. E. MAYER, *St. Samuel auf dem Freudenberge* 62.

<sup>2</sup> Henricus de Sappingen, praepositus resignatus canoniae suevicae de Obermarchthal, obiit circa annum 1210 in Accon. Sepultus est ibidem non in monasterio aliquo ordinis sui, sed in coemeterio „Dexteræ Domini consecrato“ (*Chronik Heinrichs von Marchtal*, ed. SCHOETTLE, *Freiburger Diözesanarchiv* IV 1869, 178). Inde patet, Praemonstratenses anno illo aut adhuc vixisse in ruinis abbatiae suae Sti. Samuelis, aut spatium de quo disposuerunt in civitate Acconensi coenobiis scatente, tantopere fuisse restrictum ut sepultura ibi fuisset impossibilis.

<sup>3</sup> *Tractatus Joppensis*, quo Fridericus II Imperator pacem conclusit cum Sultano Al Kamil anno 1229, civitatem ipsam reddens Christianis, expresse statuit, vicos circa Hierosolymam remanere in manibus infidelium. Insuper constat, abbatem Sti. Samuelis annis 1235/63 semper resedissee in Accon (MAYER, *St. Samuel*, o. c. 43).

nimis erat coarctatus, dum in Episcopia praesto fuerit amplum monasterium. Traditio ordinis, quod enim „Aegidius de Marle, ultimus abbas Sti. Samuelis, anno 1291 martyrium passus est una cum 26 canonicis suis“, (HUGO Ann. l.c.) ante saec. XVII est ignota, nec authentice probari potest. Ideo manet problema. Forsitan hoc martyrium factum est anno 1187 – tamen constat, partem communitatis catastrophem huius anni supervixisse. Factum, quod instrumentum quoddam huius monasterii, quod est magni momenti, venit in Massiliam et ibi conservatum est<sup>4</sup>, probat conventum pacifice Acconem, saltem quoad partem, ante interitum illius civitatis dereliquisse. In omnibus descriptionibus civitatis Acconensis, quae haud sunt paucae, altum est silentium de hoc monasterio, cuius existentia tamen ex chartis et necrologiis clare constat.

Bibliographia: Opus praestans contemporaneum „Magistri Thadei Neapolitani Hystoria de desolacione et conculacione civitatis Acconensis et totius Terre Sancte an. 1291“ (Torino 1878) tacet hac de re. Vide de cetero infra apud Stum. Samuelem.

#### BELLAPAIS B.M.V.

Episcopia, – ium. Saec. XIII/XIV: B.M.V. de Pace, Abbatia Alba, N.D. de La Paix, Abbaye Blanche, Lapais, Delapais. Tempore autem Venetorum, id est saeculis XV et XVI, haec nomina ex gallicis facta sunt italica: Labaya, Badia Bianca, Bellapaese, et postremo: Bellapais, et ita vocatur usque hodie.

Juxta vicum Kazaphani prope Kyrenia versus austrum, in alto monte amoenissime sita, in insula Cypro. Dioc. Nicosia, postea Cerina (Kyrenia).

Abbatia praeclara, una ex praestantissimis regni Cypri „tempore Latino-rum“. Fundata est in loco dicto „B.M.V. in Monte Cyrinarum“ ab Amalrico

<sup>4</sup> L. DAILLIEZ, L'Abbaye de N.D.d'Huveaune à Marseille (Anal. Praem. 1967, 39/61). In hac Abbatia „Ybelina“, quae erat juxta Massiliam sita, probabile aliqui saltem religiosi ex Terra Sancta profugi invenerant refugium, cuius arctae relationes cum illa ex diversis adiunctis patent. Nomen „Ybelina“ erat grandis familiae magnatum regni Hierosolymitani. Probabile est, partem religiosorum abbatiarum Terrae Sanctae ex meridie Galliae fuisse ortam, et regionem climatis similis praetulisse. Hayto ex regia stirpe Armeniae, conversus abbatiae Bellapais, annis 1306/08 Avenione pro abbatia Ybelina gratias impetravit (Reg. Clement V, 1885, Nr. 2434). Anno 1392 episcopus de Limassol in Cypro nominatur abbas titularis – vel commendatarius – de Ybelina. Apparet archivalia abbatiarum Palaestinae, in quantum salvari potuerunt, advenisse in archivis Ybelinae. Post eius interitum an. 1407 primo ad asceterium Stae. Paulae, dein Sti. Salvatoris transierunt, in cuius deposito Parisiis adhuc extant (Bihl. Nat. Paris MS. Nouv. Acq. Lat. 1376 pp. 444/46).

de Lusignan, rege Hierosolymitano, tamquam prioratus modicus pro canonicis Sti. Augustini – Forsitan „canonicis Templi“<sup>1</sup> – ex Hierosolymis fugitivis, inter annos 1187 et 98. Paulo post Hugo I. rex Cyprici eis donavit locum Episcopiam in vicinitate situm, ubi forsitan antiquitus fuerat monasterium graecum. Mox conventus se eo transtulit, et inter annos 1206 et 1211, ope Theodorici archiepiscopi Nicosiensis, ordini Praemonstratensi se aggregavit. Annis 1224, 1225 et 1232 iam authentice ut abbatia occurrit<sup>2</sup>. Erat sub paternitate Praemonstrati. Archiepiscopus Nicosiensis reservavit sibi ius plenum in monasterium, exigens, ut abbates ipsi eandem obedientiam praestarent quam superioribus suis ex ordine. Hugo III rex (1267/84) nequaquam, ut dicit Hugo annalista noster, fundator erat coenobii, sed illud egregie auxit et dotavit, advocans canonicos ordinis a Saracenis ex Terra Sancta expulsos<sup>3</sup>. Procuravit abbatibus jus pontificalium, et concessit eis jus portandi gladium et calcaria aurea. Paulo post annum 1305 ibi intravit tamquam conversus Hethoum de Gorhigos (Hayton Churchi), e regia stirpe Armeniae, qui celebrem chronicam scripsit<sup>4</sup>. Canoniam habuit prioratum in Papho, qui forsitan initio fuerat domus formata, et residentiam in Nicosia<sup>5</sup>. Hugo IV rex (1324/58) abbatiam splendide exornavit. Eam tamen in discrimine versatam esse, patet ex sequenti: Abbas Geraldus ob appellationem ab ipso Georgio priore et canonicis dicti monasterii ad Stam Sedem interpositam contra quasdam ordinationes indicto monasterio per Eliam archiepiscopum innovatas praefatum Georgium ex abrupto duris carceribus mancipavit, in quadam fovea retinuit et quatuor menses compedibus et manicis alligatum<sup>6</sup>. In bellis

<sup>1</sup> Ordo iste tunc considerabatur tamquam ramus familiae canonicae, inter quos tunc vix fiebat distinctio juridica. Saec. XII inter ramos illos – Praemonstratenses, canonicos regulares Sti. Augustini, immo et saeculares – viguit vera „Promiscuitas“. Cf. infra apud Constantinopolim Sti. Nicolai.

<sup>2</sup> Iam anno 1218 Hellinus abbas Sti. Samuelis obierat in Episcopia. Vide: R. RÖHRICHT, Testimonia minora de quinto bello sacro (Public. Soc. Orient. Latin, Ser. Hist. 3, 1882, XX/XXI).

<sup>3</sup> Ut iam supra dixi, puto eos fuisse de conventu Sti. Samuelis in Accon, vel forte de St. Habacuc, de quo vide supra. Vide etiam apud Montem Stae. Catharinae.

<sup>4</sup> Vide BACKMUND MaGSchr, et GIESE o. c.

<sup>5</sup> Haec domus erat utrum „Ostel del'Abbé dou Prémontré“ (MAS LATRIE, Histoire III 288) an monasterium Sti. Georgii de Lamangana, quondam graecum, quod intermediente Haytone Churchi a Clemente P. V. anno 1308 abbatiae Bellapais unitum est (Reg. Clement V nr. 2435/36). Ex verbis bullae: „Conventui Stae. Mariae (scil. Bellapais) licentia detur, ut ipsi ad monasterium Sti. Georgii se transferant et reforment praedictum claustrum de personis latinis idoneis“, concludere licet, ibi ad tempus extitisse domus formata ordinis. Post annum 1453 monasterium Lamangana pro monachis graecis e Constantinopoli profugis est restauratum, sed anno 1567 destructum (HACKETT o. c. 361).

<sup>6</sup> Reg. Benoit XII nr. 5120.

Mamelucorum, sub Joanne rege anno 1426, coenobia Cypri sunt devastata et derelicta, etiam Bellapais. Dum multi religiosi deinceps in sua coenobia non reverterunt, Praemonstratenses sub sequenti rege, Jacobo dicto spurio, ad sua redierunt<sup>7</sup>. Loredano et Lusignano, duo autores Italici saec. XVI, perperam abbatiam dicunt fuisse ordinis „Humiliatorum“<sup>8</sup>. Tempore Vene-  
torum, cum abbatia fuerit in commenda, interdum tres abbates sibi vindica-  
verunt monasterium: unus nominatus a gubernio, alter a Curia Romana, ter-  
tius electus a conventu. A tempore regis Jacobi (1460) elanguit, et saeculo  
XVI disciplina omnino erat corrupta. Senatus Venetianus ab abbate generali  
expetivit correctionem scandalorum, quam ille initiavit ipso anno 1571, quo  
Cyprus a Turcis est expugnata. Dein canonia suppressa est, omnes Latini ex  
insula sunt expulsi, ecclesia abbatialis data est Graecis tamquam parochialis,  
qui eam tenent usque hodie. Aedes claustrales, quae adhuc sunt pulcherri-  
mae, paulatim corruerunt in ruinas, sed integra subsistunt elegans refecto-  
rium et maior pars claustrum. Abbates regulares tres tantum sunt noti: Geor-  
gius 1246 et 64 (idem?), Bartholomaeus 1306, Geraldus 1337.

Archivalia proprie dicta desiderantur. Scrutandum esset in archivis Venetianis et  
Vaticanis, quod vero nemo eatenus fecit. Secus vix aliquid invenire poterit.

Bibliographia: AUVRAY 3951 – BACKMUND MaGSchr 292/307 – COTTINEAU  
1058 – DHGE XIV 169/171 – GEUDENS 35 HOBERG 234 – HUGO I 651/54 – Lettr.  
com. Jean XXII 4129, 4132, 4540, 7962, 9950, 29055, 45 104, 53 637, 58 258, 58 261,  
60 647, 60 653, 60 953, 61 396. (De Lamangana vide: 25 120, 25 122, 13 673, 15 993) –  
LThK III 191 – POTTHAST RPR 2156, 5156, 5376, 8917 – Reg. Alexandre IV  
(1254/61), ed. C. BOUREL et alii, nr. 138 – Reg. Benoit XII nr. 5120 – RÖHRICHT RRH  
nr. 1035, 1437 – C. DE BRUYN, Voyage au Levant, Paris 1714, 197, 201, 378 – N. CAS-  
SAS, Voyage pittoresque en Syrie, Paris 1785, III 102/04 – C. D. COBHAM, Excerpta  
Cyprica, Cambridge 1908, 300 – A. DRUMMOND, Travels through different cities, Lon-  
don 1754, 271/72 – C. ENLART, L'Art Gothique et la Renaissance en Chypre, Paris  
1899, I 203 – W. GIESE, Asienkunde für den kreuzfahrenden Westen: die Flos Histori-  
arum terre orientis des Hayto von Gorchigos aus dem Jahre 1307 (Festschrift N.  
Backmund, 1978, 245/65) – J. HACKETT, History of the Orthodox Church of Cyprus,  
London 1901, 611 sv. (ed. graeca, Piraeus 1927/32, iij, 159/64) – G. GOLUBOVICH, Bi-  
bliotheca biobibliographica della Terra Santa, Quaracchi 1906, I 397 – Reg. Boniface  
VIII, 3957 – N. HILL, A. History of Cyprus, Cambridge II/III, 1948; 26, 177, 226,  
1065, 1103, 1125/27 – E. L'ANSON et S. VACHER, Medieval and other Buildings in Cy-  
prus (Transactions of the Royal Institute of British Architects, XIII/XVIII, 1882/83;  
6, 14/16) – C. JEFFERY, A Description of the Historic Monuments of Cyprus. Nicosia  
1918, 323/34 – N. LA MONTE, Register of the Cartulary of Nicosia (Byzantion V, Nr.  
35, 37, 59, 99) – G. F. LOREDANO, Historie dei re Lusignani, ed. E. Giblet, Bologna

<sup>7</sup> G. GOLUBOVICH I 397.

<sup>8</sup> Opera infra citata. Humiliati fuerunt ordo, tunc in pleno statu dissolutionis existens  
anno demum 1571 suppressus est. Forte Praemonstratenses Episcopiae, tunc haud  
minus dissoluti, se illius ordinis esse finxerunt.

1647 – S. LUSIGNANO, Chorographia e breve historia universale dell'Isola di Cipro, ibidem 1573, 33 – G. MARITI, Viaggi per l'Isola di Cipro, Lucca 1769, 125/31 – L. de MAS-LATRIE, Archives des Missions scientifiques I 1850, 544/48 – IDEM, Histoire du Royaume de Chypre, Paris 1861, I 384, III 544, 632, 636, 646/47, 657/58, – IDEM Documents nouveaux servants de preuves a l'Histoire de Chypre, Paris 1882, 348/49, 511/12 – A. S. MEGAW, A brief history and description of Bellapaise Abbey, Nicosia 1948 – J. W. REINHARD, Geschichte des Königreichs Cypem, Erlangen 1766, I 203 ff – P. SEESSELBERG, Das Prämonstratenserklöster Delapais auf Cypem, vom kirchen- und kunstgeschichtlichen Standpunkt aus erläutert, Diss. Heidelberg 1901 Fusam bibliographiam de Haytone Churchi vide supra apud BACKMUND et GIESE.

#### CONSTANTINOPOLIS Sti. Nicolai extra muros

Quae domus, alias de „Pharphar“, erat coenobium canonicorum Templi<sup>1</sup>, rami scilicet Ord. Can. Reg. Sti. Augustini, quocum ordo noster aliquo modo videtur fuisse connexus. Henricus Zdik, Episcopus Olomucensis, iam circa annum 1137 hunc ordinem ingressus est in Terra Sancta, et dein reversus ad sua, solum ordinem Praemonstratensem professus est, quem an. 1140 Windbergae in Bavaria novit esse meliorem reformationem vitae canonicae, et quem exinde summo zelo propagavit<sup>2</sup>. Testis saeculi XII exeuntis hac de re scribit: „Henricus . . . habitum nostrum, quem Hierosolymis viderat, . . . susceperat . . . et reportabat . . . Bohemis sicut novum hominem, ita et novum ordinem“<sup>3</sup>. Post annum 1187, canonici Templi Hierosolymitani, una cum rege suo Amalrico, aufugerunt in Cyprum, ubi domus eorum in Episcopia mox apparet ut Ord. Praem.

Quibus vestigiis atque testimoniis contemporaneis accedit ut gravissimum insertio in Catalogum Scheftlariensem una cum Kalavryta et Episcopia formans Circariam Graeciae. In Scheftlariensi catalogo, circa annos 1250/70 conscripto, omnis insertio habet suum fundamentum in re. Balduinus primus imperator latinus Constantinopoli, erat ex Flandria et maximus amicus Praemonstratensium, iste videtur tradidisse hoc monasterium canonicis albis<sup>4</sup>. Ceteroquin de hac domo nihil reperire potui.

<sup>1</sup> POTTHAST RPR 3620 et MIGNE PL II 1555.

<sup>2</sup> N. BACKMUND, Kloster Windberg, Studien zu seiner Geschichte, Furth 1977, 12.

<sup>3</sup> Chronographus Siloensis (1167/92), ed. G. DOBNER, Monumenta Historica Boemiae, nusquam antehac edita I, Pragae 1764, 100.

<sup>4</sup> POTTHAST l. c.

## HERMOKASTRON

Hodie Erimokastron. Prope Thebas versus occidentem, in eadem dioecesi, in Boeotia, Graecia.

Monasterium, de quo pauca tantum scimus, quod vero saeculo XIII ad breve saltem tempus extitisse dubitari non licet. Anno 1212 nobilis via Nicolaus de Sto. Audomaro (St. Omer) donat abbati et fratribus S. M. de Parvo Ponte Brundusii Ord. Praem. casale, quod dicitur Hermocastrum prope Thebas (De Leo o. c. Nr. 41). Gervasius abbas generalis scribit paucis annis post episcopo Thebano (Ep. Nr. 88, ed. Hugo) . . . „dudum sane significatum est nobis, quod fratres quidam Praemonstratensem ordinem profitentes in dioecesi vestra sortiti sunt locum ut ibidem Domino famularentur secundum ordinis instituta; de quorum conversatione quoniam diversa audivimus a diversis. Non possumus solliciti non esse de ipsis . . .“

Hugo dicit in calce huius epistolae se nihil potuisse invenire certi, de quam canonia hic agatur. Dubium non est, eam esse nil aliud nisi Hermocastrum illud, quod brevi ante abbatiae Brundusinae fuisse donatum supra legimus. Brundusina domus novam foundationem ibi instituit, sed cum iam abbatia mater tunc satis fuisset corrupta et collapsa, nec filialis plantatio, ab arbore emortua orta, potuit florere et ideo probabiliter iam mox iterum cessavit. Amplius de ea nulla fit mentio, nec invenitur nomen eius in antiquis catalogis. Tamen eam fuisse domum formatam, dubium non est.

Literatura: HUGO SAM Ep. Gerv. 88 – A. DE LEO, Codice Diplomatico Brundusino, Trani 1940, Nr. 41. –

De abbatia Brundusina (Brindisi) vide supra apud Circariam Tusciae et Calabriae.

## KALAVRYTA B.M.V.

Kala-, Colabrita, -brica, Colimbria.

Prope Patras versus austrum, hodie est municipium in nomo Achaia, (Graecia).

Abbatia fundata a Godefrido II de Villehardouin, toparcha Patrae, post annum 1218. Filia de Belval, vel secundum Cat. Ninivensem Stae. Crucis Metensis. In aliis catalogis dicitur fuisse filiam Praemonstrati. In ampla literatura historica de Oriente Latino eatenus nihil inveniri potuit, quo existentia huius coenobii probaretur. De oppido Kalavryta nihil refertur, quam quod ibi fuerit baronia Francorum cum castello mediaevali, et duo pervetusta monasteria graeca, saeculo quarto fundata, Megaspilaion et Hagia Laura



appellata. Atqui ex fontibus ordinis clare apparet monasterium eius ibi extitisse, occurrit nempe in omnibus antiquioribus catalogis, et etiam in quibusdam obituariis, ut in Rommersdorfiensi ad diem 25am junii: Bertram abbas de Kalabrita, et in obituariis Parcensi et Tongerloensi; die 26 novembris: Nicolaus abbas Kolabritisensis. Puto rem ita se habuisse: Saepius evenit in Graecia durante dominatione Francorum, quod Latini antiqua coenobia graeca sibi arripuerunt et monachos latinos ibi collocaverunt, ut in Chortaiton prope Thessalonicen, et in Daphnis prope Athenas, quae monasteria saeculo XIII Cistercienses occupaverunt<sup>1</sup>, quae vero ante et post usque ad nostra tempora a Basilianis schismaticis erant possessa. Probabiliter simile quid actum est in Kalavryta. Potius agitur hic de Hagia Laura ibidem.

Hugo annalista noster autumat quidem, hanc canoniam fuisse ordinis nostri usque ad annum 1463, quo Turci Peloponnesum expugnaverunt. Hoc vero cum veritate concordare nequit. Ut iam liquet ex facto, quod nomen eius antiquioribus tantum catalogis (saec. nempe XIII) est insertum, Kalabritensis canoniam adhuc ipso saeculo XIII interisse videtur. Forte hoc factum est anno 1263, quo Byzantini Kalabritam iterum occupaverunt<sup>2</sup>, et monachos graecos, ut suspicari licet, in possessionem antiqui sui monasterii redintegraverunt. Si diutius extitisset ibi ordo noster, certe aliqua vestigia in archivis reliquisset.

Bibliographia: COTTINEAU 832 – De historia loci: G. PAPANDREU, *Archaiologikai kai topographikai ereunai en te eparchia Kalabryton* (Praktika en tes en Athenais Archaiologikes Hetairias 1920, pp. 95/146 – N. KYPARISSIS, *Anaskaphai en kato Goumeniste ton Kalabryton* (Deltion archaiologikon IX 1924/25, parart. 14/18) Forsitan Johannes episcopus de Argolis O. Praem. 1334 erat in connexu cum hac domo (A. ΖΑΚ, EOP; Anal. Praem. IV 1928, P. 411. Erat autem canonicus abbatiae Bassefontaine in Gallia.)

#### MONS STAE. CATHARINAE

Quam domum certe saec. XIII extitisse scimus ex unico catalogo Scheftlariensi, qui eam apud Circariam Tusciae adducit, ut sitam in dioecesi Hierosolymitana inter St. Samuel Accaron et Stum. Alexium in Roma. Certe non agitur de Monte Stae. Catharinae in Sinai. Atqui invenitur ca. an. 1265 prior quidam monasterii Stae. Catharinae in Montgisart, arabice Tell Gezer, situm

<sup>1</sup> COTTINEAU 779 et 947.

<sup>2</sup> Sic secundum HOPF, *Geschichte Griechenlands im Mittelalter* (München 1951), cf. ind. Secundum opus citatum PAPANDREU dominium Francorum fuit ibi annis 1205–1325, et 1404–07.

inter Tel Aviv et Jerusalem, in loco ubi in festo Stae. Catharinae, die 25a novembris 1177, christiani maximam victoriam reportaverunt super Saladinum. Fundatio cuiusdam monasterii in hoc monte decuit, et est possibile, hoc nomine „Montis Stae. Catharinae“ fuisse designatum. Tamen ordinem nescimus, citatio cuiusdam prioris potius ordinem Praedicatorum insinuat, ideo res manet dubia. In eadem dioecesi Lydda sita erat etiam abbatia Sti. Habacuc, de qua sub sequenti.

#### ST. HABACUC

St. Joseph ab Arimathaea, de Cansie; Ramleh, Rama. Probabiliter fuit situm in El Kenisey, prope Joppe, dioec. Ramla-Lydda, Palaestina.

Abbatia fundata circa annum 1137/38. Amalricus quondam prior in Gottesgnaden, anno 1136 profectus est in Terram Sanctam cum quibusdam confratribus ad praedicandum. Per aliquot tempus terram circuierunt tamquam praedicatores peregrinantes, fundatorem Norbertum imitantes, sed mox. cogente Gulielmo patriarcha Hierosolymitano, fixerunt se in solitudine sepulchri prophetae Habacuc prope Ramleh, ubi etiam ossa Sti. Joseph de Arimathaea colebantur. Primus abbas Amalricus factus, anno 1152, ascendit ad archiepiscopatum Sidonensem. Anno 1156, 23 religiosi fuerunt in St. Habacuc, quos omnes novimus nominatim. Anno vero 1187 a Saladino fuit dirutum, pars fratrum fuit necata. Quo residui fugerunt, non constat, forte in Cyprum, forte in Montem Stae. Catharinae, forte una cum fratribus Sti. Samuelis in Accon. Anno 1229 non fuit restaurata. Situs eius exactus definiri nequit.

Instrumenta proprie dicta non supersunt, abbates noscuntur sequentes: Amalricus ca. 1137–53, Heribertus 1153/60, quibus accedit Hellinus quidam ex Obituario Praemonstratensi, ed. v. WAEFELGHEM, ad diem 21. VIII.

Bibliographia: A. ABEL, Mirabel et la tour d'Aphec (Revue Biblique XXXVI 1927 390/400) – HUGO I 117 – W. HOTZELT, Kirchengeschichte Palästinas, München 1951, III 148 sq – Livre de St. Jean d'Idelin, chap. CCLXI (RHC Lois I, Assises de Jerusalem 549, I 417) – RÖHRICHT, Königreich Jerusalem, cf. ind. – IDEM, RRH nr. 323, 358 – IDEM, Syria Sacra 36 – ROZIERE, Cartulaire du St. Sepulcre, Paris 1849, 133, 136 – St. Habakukkloster, in „Wissenschaftliche Beilage zur Germania“ Berlin 1904, S. 189 ff – WILHELMUS DE TYRO, MIGNE PL 201, libr. XVII cap. 26 – DUCANGE Les Familles d'Outre Mer, ed. E. G. REY 1869, nr. 821. –

## ST. SAMUEL

Mons Gaudii, Montjoye, Ecclesia Transmarina Sti. Samuelis (ad vitandas confusiones cum abbacia Sti. Samuelis in Barletta). Hodie: Nebu Samwil. Situm est secus viam peregrinorum Joppe-Lyddā-Jerusalem, amoene in monte, de quo exercitus cruciatorum duce Godefrido die 7a junii 1099 prima vice viderunt civitatem sacram. Inde nomen Mons Gaudii.

In hoc loco, in quo antiquitus a Judaeis, Christianis et Musulmanis sepulchrum Samuelis prophetae colebatur, fuerat monasterium orthodoxum, quod primis decenniis dominationis latinae adhuc se manutenere potuit<sup>1</sup>. Balduinus II rex Hierosolymorum (118–31) hunc montem sancto Bernardo obtulit, ad fundandum monasterium ordinis sui. Sed ille renuit, regi suadens, eum ordini Praemonstratensi tradere<sup>2</sup>. Quod et factum est. Etsi primi canonici huius domus venerint ex diversis canoniis, praesertim ex Sta. Maria in Nemore, habebatur ut „specialis filia Praemonstrati“, et ut proprietas totius ordinis. Quamquam Stus. Samuel, comparata cum abbatibus fundatis primis annis post expugnationem, fuerit mediocris quoad bona et quoad pondus, abbas eius „qui porte croce et non mitre ne anel“<sup>3</sup>, numerabatur inter sex „abbates suffraganeos“ patriarchi latini in Jerusalem.

Monasterium possedit ecclesiam Sti. Joannis Ev. in Nabulus, capellam Sti. Longini in Jerusalem, et domus in Jerusalem, in Accon et in Ascalon. Comes quidam hispanus, nomine Roderici, hic fundavit circa annum 1172 ordinem quendam equestrem in honore B.M.V. sub tutela et regula Cisterciensium, sed in scandalum probabiliter Praemonstratensium. Ordo iste mox iterum periit<sup>4</sup>.

Anno 1187 monasterium eversum, et maior pars religiosorum necata est. Paulo post annum 1192, hic vixit frater Saladini, al-Adil<sup>5</sup>. Nihilominus in ru-

<sup>1</sup> In charta anni 1125 (J. DELAVILLE LE ROULX, Cartulaire general des Hospitaliers de l'Ordre de St. Jean I, 1894, 69 Nr. 72) citatur abbas Sti. Samuelis in Accon, pro cuius nomine quidem mansit lancuna. Vix fuit Ordinis nostri (Vide MAYER St. Samuel o. c. 42, Nr. 31).

<sup>2</sup> Hoc datum foundationis ante annum 1131 tenet et optime probat E. MAYER St. Samuel o. c. 38/39, contra traditiones antiquiores, qui foundationem attribuunt Fulconi regi, post annum 1141. Cf. MIGNE PL t. 182, Epistolae Sti. Bernardi 337, 557, et Vitam Sti. Bernardi ibidem t. 185, 316b.

<sup>3</sup> Livre de Jean d'Ibelin chap. CCLXI (Recueil des Historiens des Croisades, Lois I 415). „Croce“ hic non intelligi debet modo italico = crux, sed modo gallico: crosse = pedum.

<sup>4</sup> J. DELAVILLE LE ROULX, L'Ordre de Montjoye (Revue de l'Orient Latin, I 1893, 42/57).

<sup>5</sup> Baha'ad Din, Vita Saladini. Recueil des Hist. des Croisades, Historiens Orientaux III 336, 339, 351.

inis Sti. Samuelis adhuc aliqui fratres degebant, sed anno 1213 videtur fuisse omnino derelictum et conventus aufugit in Accon, de quo vide supra. Monasterium Sti. Samuelis in posterum destructum est, ecclesia romanica vero profanata. Anno 1674 inservit ut stabulum. Anno 1911 restaurata est in sanctuarium mahumeticum, anno 1917 graviter pessumdatur in bello, dein vero redintegratum est.

Una charta sola subsistit ex archivo, scilicet confirmation bonorum de anno 1185, de qua vide E. MAYER. *Descriptio sigilli abbatis apud J. DELAVILLE Le ROULX, Cartulaire générale des Hospitaliers de St. Jean 2 (1897) Nr. 2925. Abbates: (RÖHRICHT, Hugo Sam et Obi. Praem.): Theodoricus 1145 – Radulphus 1156 – HUGO + 25. VIII Ob. Praem. – HELLINUS 1216/18 – Aegidius 1220 – Johannes 1239 – S . . . . 1244 – Johannes 1254/63<sup>6</sup>.*

*Bibliographia: AUVRAY 2652, 2742/44, 4387/88, 4411 – BERGER 5129 – ENLART Monuments I (1925) 41, II (1928) 28 Osv – GEUDENS 35 – HUGO Ann. Praem. II 735/38 – IDEM SAM Epist Gervasii Nr. 37, 38, 115, 130 – RÖHRICHT Gesch. Kgr. Jer. cf. ind. – IDEM RRH 216, 323, 854, 884, 906, 1087, 1127, 1197, 1217, 1244, 1249, 1271, 1275/78, Additamenta: 216, 1062a, 1080, 1193a, 1255a, 1323b. – IDEM, Syria Sacra 41 – ABEL/SAVIGNAC, Neby Samouil (Revue Biblique XXI 1912, 267/79) – H. E. MAYER, Sankt Samuel auf dem Freudenberge und sein Besitz nach einem unbekanntem Diplom König Balduins V. (Quellen und Forschungen aus italienischen Archiven und Bibliotheken XLIV Tübingen 1964, 35/71) – T. TOBLER, Zwei Bücher Topographie von Jerusalem Berlin 1853, II 886.*

## DUBIA

### STUS. MICHAEL DE CLUSA

J. Michelet loquitur in opere suo „Le procès des Templiers“ (Paris 1841/51) II 647 de monasterio quodam ordinis nostri, nomine Sti. Michaelis de Clusa, sito in insula juxta civitatem Beyrouth, ubi Julianus ultimus dominus Sidoniensis vitam suam finisset. – Nisi est error auctoris, haec domus, de qua alioquin nihil scimus erat forsitan prioratus dependens a Sto. Samuele Acconensi.

## PAPHOS

Civitas in meridie insulae Cypri. Constat abbatiam Bellapais ibi habuisse domum dependentem anno 1246. Hoc anno Rogerus quidam eques Paphensis

<sup>6</sup> De Aegidio de Marle, qui secundum traditionem non probatam anno 1291 martyrio coronatus est, vide supra apud Accon.

dedicat abbatae pretiosam reliquiam Stae. Crucis, et fundat anniversarium sollempne pro se et pro uxore sua. Georgius abbas Episcopiae statuit, quod haec missa cantari posset in „domo nostra quam habemus in civitate Paphensi“, et quidem „a fratribus nostris ibi degentibus“. (Mas Latrie, Histoire du Royaume de Ch. III 646/47).

Alioquin nihil scimus de hac domo, sed ex verbis supra allatis suspicari licet ibi fuisse verum conventum. Anno 1280 occurrit quidam „frater Dionysius praepositus abbatae Episcopiae“ (Röhricht Regesta Nr. 1437). Hoc tantum sic intelligi potest, quod iste frater fuit superior alicuius domus dependentis. Atqui tales habuit Bellapais in Nicosia et in Papho tantum. Nicosia videtur fuisse mera residentia, seu potius refugium (vide supra, notam apud Bellapaise), ergo possumus supponere, hunc Dionysium fuisse praepositum domus Paphensis.

## PRAETERMISSA

### BETHLEHEM

In terra Juda. Anselmus Episcopus Havelbergensis (qui fuit Ord. Praem.) in primo suo libro Dialogorum anno 1145 scribit de ordine suo, quod „extendit etiam palmites haec eadem sancta societas in partes orientis, nam in Bethlehem una, et in loco quem vocant Sti. Habacuc alia congregatio est.“

Secundum omnes peritos haec est aperta confusio cum St. Samuel. In Bethlehem numquam fuerunt Praemonstratenses.

Epistola Anselmi apud D'Achéry, Spicilegium XIII 111 – Hugo I 434 – Cottineau 367 – Geudens 4.

### JERUSALEM

1. In Monte Oliveti, Ascensio Domini et 2. juxta „Templum Domini“. In ambobus coenobiis fuerunt canonici iam ante foundationem ordinis Praem., Ambae canoniae habuerunt abbates, et interdum fuerant appellati „albi monachi“. Non fuerunt canonici Sti. Sepulchri, apud Templum Domini vero erant „Canonici Templi“. Certe numquam fuerunt O. Praem., ut dicunt aliqui auctores. (Goov. IV 166) Cf. W. Hotzelt, Die Chorherrn vom Hl. Lande 25/28. Köln 1940. p. 198/36 – Michelaut/Reynaud pp. 51. 162 – Lepaige I 97.

## NAZARETH

P. Louis de Gonzague Daras praetendit ibi fuisse ecclesiam cathedralem ordinis nostri. Hoc verum non est. Lethardus archiepiscopus Nazarenus († 1190) quidem erat ex ordine, sed capitulum ibi numquam erat regulare.

L. de Daras, Prieuré de Nazareth en Terre Sainte, in: ANN 1886, I 17/20 – Geudens 4 –. Goovaerts IV 165. – De Lethardo vide Wilhelmum de Tyro, lib. XXII, 18.

